HONORI ET MEMORIAE IVVENIS

NOBILISSIMI ORNATISSIMIQVE

DOMINI

ANTONII THEOPHILI AVSCHVITZII

THORVNENSIS

PHILOS. ET IVRIVM STVD.

IN ALMA SALANA

A. S. R. MDCCXXXIV.

D. V. K. IAN.

HEMIPLEXIA PRAEMATVRE EXTINCTI

HOCCE PIETATIS ET AMORIS MONVMENTVM
MENTE CALAMOQVE LVGVBRI

P.

EIVSDEM

COMMILITONES ET AMICI VETERANI.

IENAE,
EX OFFICINA HORNIANA.

SAncte Deus! cui eſt humanae cura ſalutis,
Quiue regis curſus annorum et tempora uitae,
Cernens ſublimis praeſentia, priſca, futura,
Cur triſtis nobis contingit terminus anni?
Auſpicioque noui cur terret pectora luctus?
Cur plauſus ſolitos perturbat funus acerbum?
Ordine dum noſtro cedit, caſtriſque mineruae
Eripitur ſubito nimium dilectus achates
AVSCHVITZ deliciae patriae pindique ſodalis.
Non is dignus erat longam traducere uitam,
Qui iuuenile aeuum uix prima adſpexerat umbra?
Non is dignus erat Salanis uiuere athenis?
Et coeptam tandem ſtudiorum cernere metam,
Ut poſſet patriae dulces adquirere fructus,
Et decus et caram longe curare ſalutem,
Ingenium felix dum ſpem tulit omnibus amplam.

Noſter enim fuerat ſupremi numinis aequus
Cultor, uirtutis non cedens tramite recto,
Moribus ingenuis, placidus, nullique moleſtus,
Artes praeclaras magno ſectatus amore
Praeceptis doctis animum commiſit et aures,
Muſarum ſperans laudes et praemia docta:
Non huic deſidiae molles, non otia curae,
Non luxus turpis, non foeda licentia cordi,
Non labes potuit puram conſpergere mentem,
Quam MATRIS pietas iuſſit ſeruare carentem
Crimine, quam pulcris doctrinis, moribus, arte
Auxit SCHOENVALDI clari ſolertia prudens:
Hinc ſpes ſuſcepti fuit haud temnenda laboris,
Hinc MATRIS blandae ſucceſſit gratia nato,
Hinc Cognatorum ſtudia aucta et promta uoluntas,
Queis placuit iuuenis conatibus addere calcar.
Aſt aliud Superis uiſum fuit atque ſtatutum,
Qui res humanas uerſant totumque gubernant
Orbem, quos nequeunt mortalia uota morari.
Talia nam noſtris miſcebant dicta querelis:
Quid cauſſae eſt miſeri? cur raptum fletis achaten
AVSCHVITZIVM uobis dilectum pectore toto?
Carior eſt nobis et ſic quoque iure receptus,
Ne quiſquam rapiat noſtris complexibus illum.
Quamuis in terris ueterem non finiit annum,
In coelis illi continget meta laborum
Atque noui uenient ullo ſine limite plauſus.
Salanis quamuis ſubitus ualedixit athenis,
Noſtrae Academiae iam nunc cenſetur alumnus,
Angelicae ut poſſit doctrinae abſoluere curſum:
Quamuis nec potuit patriis requieſcere tectis,
Laetior in coelis patriae fulgebit imago,
Quam nulli ſtrepitus, non hoſtis praelia terrent,
Atque implent pacis tranquillae gaudia longa:
In terris uixit nullos defunctus honores,
In coelis capiet laudes nitidamque coronam.

Haec Superi. quod cum noſtras conceſſit ad aures,
Cum diuina fuit ſapientia cognita nobis,
Attonitos ſubito gelidus tremor occupat artus,
Et triſti ordimur ſuſpiria talia uoce:
Parce Deus noſtris uotis precibuſque ſuperbis:
Non Tua facta decet mortales carpere ſtultos,
Non Tua ſancta uident miſeri ueſtigia ſemper:
Tu modo ſollicitis adfer ſolatia rebus.
MATRI adſis moeſtae, quae nati cernere manes
Exoptat, pulcris infigere baſia labris.
COGNATIS moeſtis adſis, qui funera lugent
Defuncti, atque iuua duros tolerare dolores.
Fac illis ſapiens Tua quo ſit nota uoluntas,
Ut poſſint aegras animo depellere curas:
Fac gratam uexent nulla unquam damna ſalutem,
Fac laeti numerent annos ſine turbine longos,
Et uideant ſaluos cariſſima pignora NATOS.
Omnis quippe Tuo arbitrio ſtat uita ſaluſque,
Et Tua tranſcendit noſtras ſapientia uires.

